



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 10. Cajetani sententia impugnatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

ut prædicetur de eo: exempli gratia voluntas condendi mundum prædicatum intrinsecum Dei est pendens ab extrinseco connotato, & connotatum cum ipso; aut pendet ut sit, aut non pendet, ut sit in Deo? sed ut prædicetur ab aliquo de illo.

Si non primum sed secundum: ergo nec pendere potest, ut prædicetur; omne enim quod est in se, & independens in esse, potest ab intellectu id concipiente prædicari. Quis hoc dubitet? res enim non est, quia prædicatur, aut prædicabilis est; prædicari enim, aut prædicabilem esse, est intelligi, aut intelligibilem esse actu iudicii, ut ergo non quia res intelligitur, est; nec quia intelligibilis, sed è converso, quia est, intelligitur, & intelligibilis est; ita si prædicatum illud intrinsecum est in Deo independentem quoad esse à connotato extrinseco, etiam erit independens, ad hoc ut prædicetur, seu prædicabile sit, & sic poterit prædicari sine tali connotato.

Si autem primum dicatur, scilicet quod prædicatum illud intrinsecum connotatur cum connotato extrinseco, & dependeat ab illo non solum quoad prædicari, sed etiam quoad esse: ergo ablato connotato extrinseco, vel deficiente, deficiet etiam, & auferetur vere, & realiter entitas, & esse illius prædicati: patet consequentia evidenter ex doctrina Patris Suarez quam isti defendunt, nam ideo ablati creaturis possibilibus, auferuntur, & destructis illis destruitur non solum quoad denominationem, ut Pater Vazquez contendebat, sed etiam quoad entitatem, & esse intrinsecum omnipotentia Dei, & de primo ad ultimum Deus ipse, qui est idem cum omnipotentia; quia omni potentia dependet à possibilibus per vos, & connotatur cum illis, ut ait Pater Suarez, non solum quoad nomen omnipotentia, sed etiam quoad esse intrinsecum illius; nam res formalissime, & essentialiter dependens ab alia quoad esse nullo modo potest esse, aut intelligi sine illa; unde ablato Deo, auferrentur omnes creaturæ; quia quoad esse dependent à Deo, & ablati anima rationali à Petro, statim definit esse Petrus, quia dependet in esse ab anima rationali: sed per vos actus liber Dei, seu intrinsecum prædicatum decreti Dei vere dependet, ut sit, & quoad esse à creatura existenti, vel futura, seu à connotato creato: ergo quando destruitur connotatum creatum, ut quotidie destruitur, destruetur sine dubio esse decreti liberi, ac per consequens ipse deus, qui identificatur cum illo; hoc est falsum, & aperte contra fidem, ergo falsum omnino est dicere, decretum liberum dependere à connotato extrinseco quoad esse ac proinde solutio innitens tali dependentia à connotato nullius valoris est.

Deinde ipse Pater Suarez admittit electionem absolutam ad gloriam ante merita prævisa per hæc numero auxilia, & merita, quibus tantam gloriam comparavit; illa vero electio libera est, & connotat hæc auxilia numero hæc merita, hanc gloriam. Verum non negat, nec negare potest, ut probavi tract. de prædestinatione in hac quest. non esse necessariam causam electionem absolutam, ut Deus conferat omnia hæc; sed sufficere actum inefficacem simplicis complacentia: ergo admittit duos actus liberos distinctos cum eisdem connotatis: ergo tunc novitas actus liberi non ex novo connotato, sed ex nova entitate desumenda erit, eadem efficeretur difficultas, si

Deus ob diversos fines crearet hominem, diversi enim essent actus liberi; idem autem connotatum nempe eadem creatio, quæ non variaretur in entitate ex fine extrinseco: ergo Suarez sententia non potest defendi ex vi connotati.

SECTIO X.

Caietani sententia impugnatur.

Quia actus liber Dei in sententia Caietani est perfectio intrinsecè existens in Deo & ex alio capite posset non existere in Deo à parte rei formaliter: ergo potest separari à parte rei formaliter actus liber Dei ab ipso Deo; sed ea quæ possunt separari à parte rei per existentiam unius, & definitionem alterius, ita ut uno existente, definat alterum, distinguuntur realiter: ergo actus liber Dei, & Deus ipse realiter distinguuntur; sed quæ distinguuntur realiter unum non est aliud, à quo distinguuntur: ergo actus liber Dei non est Deus, à quo distinguuntur: ergo est creatura. Patet evidenter consequentia; quia omne ens reale dividitur adæquate, & immediate in ens creatum, & increatum, seu in Deum, & creaturam; sed actus liber Dei, qui ens reale est, non est Deus per vos: ergo per vos debet esse alterum membrum divisionis scilicet creatura; sed ab æterno ut supra latissime demonstravimus, actu est præsens & existens decretum liberum Dei: ergo ab æterno est actu præsens, & existens aliqua creatura, seu actu extitit, & præsens fuit; atqui hoc est hæreticum, ut aperte definitur capite firmiter, de summa Trinitatis, & fide catholicæ, ibi: [Creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spirituales, & corporales, Angelicam videlicet, & mundanam; ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.] Quod dogma fidei definitum Concilio Lateranensi fundatur in his verbis *Genesis* 1. [in principio creavit Deus cælum, & terram &c.] ubi decernitur tanquam certum de fide; nullam creaturam ab æterno extitisse sed omnem in principio temporis productam esse, quod docebat D. Augustinus contra Arium, qui diabolico instinctu, & ausu temerario duo asserbat, scilicet Verbum divinum esse creaturam, ac proinde minorem Patri; & ex alio capite docebat ab æterno fuisse coæternum Patri. Quibus auditis D. Augustinus ex loco nuper citato *Genesis* 1. sic arguebat contra hunc hæreticam; ex hoc loco sacra scriptura constat de fide esse, nullam creaturam fuisse ab æterno; sed in principio temporis omnem esse conditam; sed per te Verbum divinum est ab æterno, & coæternum Patri: ergo Verbum divinum non est creatura; quare aut dicendum tibi est, Verbum divinum non esse creaturam, aut si est creatura, non fuisse ab æterno, sed in tempore: si ergo & esse creaturam asseris, & simul doces ab æterno esse, aperte implicaris in terminis & pugnantia loqueris; cum admittas, ut admittere debes veritatem fidei contentam illis verbis *capitis primi Genesis*; [in principio creavit &c. Deus cælum, & terram;] ubi docetur aperte, omnem creaturam, nulla excepta, temporalem, & non æternam fuisse.

Ego

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 379

Ego vero eodem argumento primo Caietanum quo Augustinus Arium urgebat, Decretum liberum Dei est ab aeterno, ut fide sanctum docet Ecclesia, edocta à Paulo, [qui praedestinavit nos ante mundi constitutionem], & [sapientia praedestinata ante saecula, &c.] videantur supra late dicta circa hoc punctum; sed ex ipsa fide catholica constat, nullam creaturam fuisse ab aeterno: ergo de fide sanctum est, decretum liberum non esse creaturam, sed potius esse eum ipsum; sed deus non potest separari à seipso realiter, nec destrui realiter, permanente ipso realiter; alias idem Deus esset simul, & non esset realiter, quod omnino repugnat, quia impossibile est, idem simul esse, & non esse: ergo neque decretum liberum potest separari à Deo; neque destrui aut desinere esse manente Deo.

Deinde ex alio decreto de fide sic argumentor contra Caietanum. Nam in Concilio Remensi sub Eugenio tertio, in Symbolo fidei, quod hoc Concilium composuit contra Gilbertum, inter alia haec habentur; neque aliquas omnino res suae relationes, suae proprietates, suae singularitates, vel unitates dicantur adesse Deo quae sint ab aeterno, & non sint deus; utique credimus, & sigillatim decernit vitam, volitionem, sapientiam, iustitiam & bonitatem; quia Deus constituitur vivens, sapiens, iustus & bonus, esse ipsum Deum, & sic de reliquis perfectionibus. Itaque ex decreto huius Concilii manifeste colligitur, impossibile omnino esse dari aliquid in deo, & esse aliquid in ipso, quod non sit ipse Deus, ita ut non solum in concreto, sed etiam in abstracto praedicari possit de divinitate; quapropter sicut propriissime sunt haec loquutiones, [Deus est sapientia, sapientia est essentia divina, sapientia est bonitas.] Ita debet esse propria haec loquutio, [perfectio quaecunque divina est essentia divina, amor Dei est ipse deus, libera volitio divina est essentia divina.] Quae omnia latissime confirmat, & probat Sanctus Bernardus *serm.* 80. in *Canticis*, in his, quae contra Gilbertum scribit, & etiam in decretis, quae idem Bernardus cum Episcopis congregatis in Concilio Remensi, cuius acta, licet non quoad omnes partes approbata sint ab Eugenio III. attamen quoad praesens institutum approbata sunt.

Itaque sine dubio dicendum est, volitionem divinam esse ipsum Deum; unde D. August. *tract.* 2. §. in *Ioannem*, *propius ad medium quam ad finem*, de filio ait: [ipsa voluntas est ipse, qui loquitur, & amor Dei est ipse, qui amat omnia,] unde Athanasius, *orat.* 3. contra *Arianos*, inquit, [Dubium non fuerit, quin Verbum divinum sit Patris viva voluntas, paternaeque substantiae infra efficacia, & ratio, sicut & Spiritus sanctus est deus, & amor, quo se amat & omnes nos diligit.] Iterum autem in eadem *orat.* 3. idem repetit, sicut & Cyrillus Alex. *lib.* 1. in *Thesauris*, c. 8. docet, deum nos amare per suum esse, & non per alium amorem, quo se amat, & Spiritus sanctus, producitur à Patre, & Filio; unde Concilium Toleranum §. 5. *post confessionem fidei*, c. 1. docet, naturam divinam esse amorem, voluntatem, & dilectionem omnium. Deinde amplius urgetur; quia ex *Ioan.* 1. 4. [Deus est charitas;] sed charitas proprie dicta, ut inquit August. *lib.* 1. §. de *Trinitate*, c. 14. & 20. est amor dei erga creaturas rationales; (charitas enim est amicitia perfectissima, amicitia vero respicit essentialiter alium amicum distinctum realiter ab amante; nullus enim sui ipsius amicus est,) sed non est alia res distincta realiter à Deo, quae possit esse amica ipsi, nisi creatura intel-

I. P. Tom. II.

lectualis; ergo creatura intellectualis est quam amat Deus charitate, & amore amicitiae secundum illud, [veni amica mea, columba mea, formosa mea;] igitur deus est amor: erga creaturas rationales tanquam amicos; sed amor amicitiae est charitas; ergo Deus est amor amicitiae creaturarum, quia [Deus charitas est,] sed amor creaturarum non potuit non esse liber, quoniam Deus potuit nullam creaturam producere, potuitque nullam creaturam productam in suam amicitiam coaptare; propterea namque 1. *Ioan.* 3. videre praecipit, [qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur, & simus;] ergo amor liber Dei est ipse Deus.

Urgetur; quia charitas, quae est ipse deus, est principium omnium operum gratiae, potissimum autem incarnationis. *Ad Ephes.* 2. [propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Christo.] Et alibi dicitur; propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Filium suum unigenitum misit; & ideo D. Dionysius de *divinis nominibus*, c. 4. circa medium, sic ait: [quid sibi volunt Theologi qui cum interdum amorem, & charitatem dicunt, interdum amore, & charitate, dignum, praesertim cum huius quidem auctor, & quasi genitor, ac procreator, illud autem ipse sit, & hoc quidem moveatur, illud autem moveat; quoniam ipse sui, ac sibi, & productor, & motor est.] Et Bernardus *serm.* 59. in *Canticis*, de amore sponsi erga sponsam ait: [amat & deus, nec aliunde hoc habet, sed ipse est unde amat, & ideo vehementius, quia non amorem tam habet, quam hoc est ipse:] ergo liber amor sponsi erga sponsam est ipsa substantia sponsi; unde Athanasius *dialogo* 2. de *Trinitate*, contra *Anomeum*, col. 4. inter scholia Eunomij refert hanc eius cavillationem, [in sacris litteris non unica, sed multae voluntates inveniuntur, cum dicant, omnia quae voluit fecit; multa igitur voluit, non autem unum quiddam, neque vero multae dumtaxat, verum etiam diversae sunt voluntates voluit enim coelum, voluit & solem, voluit & terram, cum autem ista quae vult, diversae sint, necesse est differre quoque voluntates de illis creandis,] cui Athanasius respondet, [non quia diversae sunt opificia, necessario quoque diversae sunt voluntates, sed sicut Deus hominem unica voluntate ex diversis membris, & partibus concedens, fecit oculos, aures, nares, &c. sic etiam uniuersum mundum unica voluntate construxit, quia seipsum ardentem amat.]

Ecce quomodo Athanasius docet, amorem liberum circa omnes creaturas esse unicam formalitatem, & unicum amorem & hunc esse ipsam formalitatem amoris, seu dilectionis perfectionem, qua se ipsum amat Deus: sed amor quo seipsum amat, est ipse deus: ergo amor, quo diligit creaturas est deus, quod etiam patet manifeste ex ultimis verbis Athanasij, quibus docet, non esse plures volitiones, & amores, quibus vult deus omnes creaturas, & tribuens rationem, ait, quia talis amor est ipse, quo se diligit; ac si dicat: ideo non multiplicari dilectiones creaturarum in deo, quia tales dilectiones non sunt nisi ipsa entitas dei, & ipse deus, nam si talis amor non esset deus, multiplicaretur sine dubio, ad multiplicationem obiectorum, ut in creaturis contingit, cum autem non multiplicetur, & simplex sit, evidenter sequitur non esse creaturam; nam actus amoris creaturarum, quia creaturae sunt tales dilectiones, specificantur, & dependent ab obiectis, ac proinde unitatem, & pluralitatem recipiunt ab illis: atqui per vos dilectio illa, quae est in Deo, est creatura; ergo specificatur,

BBb 2 &c

& dependet ab obiectis, ac proinde unitate, distinctione, & pluralitatem recipient ab illis; sed non recipiunt, sed simplicissima formalitas est: ergo neque dependent, neque specificantur ab obiectis: ergo non est creatura, sed Deus, quia non est dare medium in ente reali inter Deum, & creaturam quod videtur aliquo modo intellexisse Aristoteles. *lib. Ethic. cap. ultim. versus finem*, ubi ex simplicitate diuinæ naturæ, atque ex illius perfectione demonstrat simplicitatem diuinæ voluntatis, & identitatem inter illam, & naturam Dei: sed voluptas non esset simplex nec idem cum natura Dei si volitio non esset simplex, & idem cum ipsa, sed multiplex, quia volitio est voluptas, voluptas enim actus voluntatis est: verba Philosophi sic se habent [quod si alicuius natura sit simplex, semper eadem operatio iunctissima erit; idcirco Deus vna semper, simplicique gaudet voluntate, utique quæ sit ipse; non enim solum motionis est operatio, sed immutabilitatis; & voluptas inquiete potius, quam in motu consistit; mutatio vero omnium dulcissimum est secundum Poëtam ob prauitatem quandam & imperfectionem Deus maxime perfectus, non in mutatione, sed in quiete utique voluptatem habet.

Eandem doctrinam docet Augustinus, *lib. 15. de Trinit. cap. 14. post medium*, & Damascenus *lib. 1. fidei. cap. 19. prope finem*. Hieronimus Ambrosius, Gregorius, Chrysost. & reliqui Patres, qui docent, amorem Dei esse ipsam essentiam Dei; & eundem esse amorem, quo seipsum, & creaturas diligit, quorum vestigia inhiestentes Magister in 30. dist. 32. D. Bonavent. *ibidem art. ultimo. quest. 3.* Ricardus *art. 1. q. 4.* & reliqui scolastici Doctores Sancti. Thomas 1. p. ubi hanc rationem tribuit actus voluntatis multiplicatur secundum obiectum formale, & primum non secundum materiale, & secundarium; sed vnicum tantum est obiectum formale per se diuinæ volitionis, scilicet bonitas diuina, creaturæ autem sunt obiectum secundarium: ergo vnus est amor Dei qui primario, necessario, & per se terminatur ad suam bonitatem, & secundario, ac libere ad creaturas; vnde sicut intelligere diuinum est vnicum, quoniam omnes creaturas non videt, nisi ratione suæ essentia: tanquam obiecti formalis, ita velle diuinum est vnum & simplex, quia omnes creaturas non vult, nisi ratione suæ bonitatis, tanquam ratione obiecti formalis, & primarij: ergo est vnus amor, quapropter in nullo priori, sub nullaque præcisione potest intelligi diuinus amor versari circa creaturas, quin intelligatur etiam versari circa Deum; nam in ultimo quoque gradu tendentiæ ad obiectum materiale continetur essentialiter tendentia vitalis ad obiectum formale; vnde etiam in nullo priori, sub nullaque præcisione potest intelligi realiter, & adæquate diuinus amor versari comprehensus, & adæquate circa diuinam bonitatem; quin etiam ex plenitudine reali ipsius in hac ratione includatur tendentia ad creaturas: ergo diuinus amor circa creaturas, & diuinus amor circa ipsum Deum sunt vna & eadem entitatis, & perfectionis formalitas: sed amor circa Deum est ipse Deus: ergo etiam amor creaturarum est ipse Deus, sed Deus, & quidquid est ipse, aut quæcunque diuina perfectio formaliter est entitas à parte rei omnino necessaria, quæ formaliter non potest esse, aut formaliter destrui, & desinere esse: ergo amor creaturarum,

qui est diuina perfectio, & ipse Deus, ita formaliter est ens necessarium, ut nullo modo possit desinere esse, aut potuerit non esse.

Antecedens sic patet, quia quidquid à se ipso existit, habet esse omnino necessarium, & tam necessario existit, quam ipsa diuina substantia secundum rationem substantiæ, omnis autem perfectio diuina, aut ratio realis formaliter in Deo existens est omnino à se, imparticipata, & in-creata: ergo tam necessario existit, quam ipsa diuina substantia; quare actus volitionis Dei, quæ in Deo formaliter est, includere non potest aliquam perfectionem, quæ non necessario in Deo existat.

Vigetur, quia ratio summæ necessitatis existentia Dei, tota posita est in ratione existendi à se; nam quod à se existit, non potest habere rationem non existendi, quia à nullo principio dependet, & sic à nullo principio potest priuari existentia: quapropter omne id quod à se existit, est omnino necessarium: sed actus voluntatis diuinæ à se existit, quia non est creatum: ergo ita necessarium est, ut non potuerit non esse, & sic necessario semper, & ab æterno, & in æternum habet esse: nam quidquid à se existit, necessario mensuratur æternitate durationis: ergo similiter etiam necessario mensuratur duratione ex necessitate existentis, qualis est æternitas diuina; vnde fieri non potest, ut aliqua à se sit ens æternum, non autem necessarium.

Et propugnatur nostra veritas ex his quæ dicit Caietanus, nempe amorem creaturarum ex suppositione quod existit in Deo, identificari cum ipso, & esse idem cum Deo; id est esse ipsum Deum: sed ipse Deus ita formalissime est necessarius, ut non potuerit non esse: ergo actus liber, qui existit in Deo, & est ipse Deus, non potest non esse, neque potuit deficere à Deo, aut non habere esse.

SVBSECTIO I.

Ex infinita perfectione diuinæ essentia: opugnatur sententia Caietani.

Quia Deus quatenus infinita perfectio est, nullo modo est perfectibilis: sed si daretur in Deo actus liber de nouo distinctus ab ipso Deo à parte rei, infinita perfectio Dei realiter periceretur: ergo actus liber Dei non distinguitur à Deo, neque additur ipsi à parte rei. Maior est evidens, quia omnis perfectio est actus, vnde actuare exercitium est perfectionis quia omnis perfectio actus est; nam omne ens dividitur in actum, & potentiam passivam: sed perfectio est ens & non est potentia passiva: ergo est actus, imo quantum aliqua res habet potentia passivam, tantum elongatur à perfectione, & distat ab illa, ratione cuius dicebat D. Augustinus, materiam primam, quæ magis omnibus habet potentia, imperfectiorem esse omnibus rebus, & magis distare ab infinita perfectione Dei. Itaque omnino perfectio actus est, & cum datur duplex actus, alius completus, alius incompletus, datur duplex perfectio, alia completa alia incompleta, incompleta perficit informando & completa per se est perfectio existens: sicut duplex datur actus, alius actuans, alius per se subsistens; sed nullus actus in ea ratione quæ actus est est actuabilis, & nulla perfectio completa in ea ratione

ratione, qua perfectio est, est perfectibilis, sed potius est perfectibilis sub ratione imperfectioris, & est actuabilis sub ratione potentia; unde actuatio, seu exercitium actus non respicit actum, sed potentiam actuabilem; cum autem omnis actus creatus & omnis perfectio creata, quia limitationem habet, & finitudinem, admixtionem habet imperfectionis, & potentialitatis.

Quapropter si aliqua perfectio reperitur, quæ sit pura perfectio, ac purus actus sine vlla imperfectione, ac per consequens, quæ possit dici omni-actus, & omni-perfectio, id est modis omnibus actus, & perfectio, nullo modo erit perfectibilis, & actuabilis, sed Deus quatenus infinitus, ac infinitus simpliciter perfectio est purus actus, ac pura perfectio sine vlla potentialitate, & imperfectione, & ideo omni-perfectio, & omni-actus: ergo nullo modo est perfectibilis & actuabilis.

Minor prima & præcipua sic probatur, quia omnis perfectio distincta ab eo in quo existit, & addita ipsi perficit subiectum, in quo est, & vicissim subiectum perficitur ab illa, quia impossibile est, quod perfectio perficiat subiectum, & subiectum non perficiatur ab illa; vox enim actiua, & passiva synonyma sunt eiusdem, & ideo non possunt separari, neque diuidi inter se; quapropter si Deus producit creaturam, necessario ipsa producit a Deo; sed actus liber Dei est perfectio existens in Deo: ergo si distinguitur a Deo realiter, realiter perficiet illum, & ipse perficitur a tali actu; unde Deus perfectibilis erit. Maior sic probatur, quia impossibile est, quod aliqua perfectio sit in aliquo subiecto exhibita ipsi, & vnita eidem quin perficiat tale subiectum, quia perficere in forma, seu perfectione est dare se perfectionem subiecto; sed dare se perfectionem, est vnio perfectionis in subiecto: ergo impossibile est, quod perfectio sit in subiecto, & non perficiat illud; sed perfectio actus liberi per vos datur in Deo vnita ipsi: ergo perfectio actus liberi perficit Deum.

Quod autem actus liber sit perfectio, patet manifeste; quia actus liber est verus actus; sed verus actus est vera perfectio: ergo actus liber Dei est vera perfectio Dei. Deinde, quia actus liber Dei est viuere; sed viuere est perfectio viuientis: ergo actus liber Dei est perfectio Dei.

Vergetur, quia impossibile est, quod actus sit in exercitio vltimo, & non actuet; sed perfectio est actus, & actuare est perficere: ergo impossibile est, quod perfectio sit in vltimo exercitio suo, quin perficiat subiectum in quo est, quia sicut impossibile est, quod intellectus sit in exercitio vltimo, & non intelligat, & voluntas exerceatur, & non velit, & forma exerceatur, & non informet, & actus sit in exercitio vltimo, & non actuet; ita impossibile est quod perfectio sit in vltimo, & proprio exercitio, & quod non perficiat: nam exercitium perfectionis est perficere id, cuius perfectio est; unde quia intellectus in creatis est perfectio, quando est in vltimo exercitio suæ actualitatis perficit; unde exercitium perfectionis perficere est, quia aliud exercitium non potest assignari; quia sicut se habet actuare ad actum, calcificare ad calorem, dealbare ad albedinem, informare ad formam, sanctificare ad sanctitatem, ita se habet perficere ad perfectionem: sed perfectio actus vitalis actu existens in Deo, est in vltimo, & proprio exercitio suo: ergo actus vitalis existens in Deo, perficit Deum. Minor sic

probatur, quia vltimum exercitium alicuius actus est existentia actualis, seu vnio actualis in subiecto, cuius actus est; nam vltra existentiam in subiecto, & in potentia cuius actus est, nullo modo datur aliquid, aut restat, in quo possit exerceri, unde totum exercitium actus sistit in vnione actus cum potentia, quia finis vltimus actus est ita actuare potentiam, vt cum illa componat vnum, aut constituat vnum totum, ad quod ordinantur vltimo, tanquam ad finem tam actus quam potentia: sed ex vi vnionis, & existentia actus in potentia componitur ex actu, & potentia inter se vnitis vnum totum, ad quod tanquam ad vltimum finem ordinantur, quia omnis vnio compositio est, ac proinde est acquisitio finis vltimi, constitutionis nimirum totius: sed in acquisitione vltima finis consistit vltimum exercitium actus: ergo in vnione actus cum potentia consistit exercitium vltimum actus, ac proinde formalissime actuatur per vnionem: sed perfectio est actus: ergo vltimum exercitium perfectionis consistit in vnione perfectionis cum subiecto: sed vltimum exercitium perfectionis est perficere: ergo quando perfectio vnitur subiecto, perficit illud. Et ratio a priori est, quia impossibile est, quod detur perfectum a perfectione quod non perficiatur ab illa; sed impossibile est quod perficiatur aliquid a perfectione, quin perfectio perficiat id, quod perficitur ab illa, quia vox actiua, & passiva vii synonyma sunt inseparabiles omnino: ergo impossibile est, quod detur perfectum a perfectione, quin perfectio perficiat aliquid, ex quo resultat perfectum, sicut impossibile est, quod ex anima rationali resultet animatum, quin aliquid animetur ab anima; unde in tantum resultat homo, qui animatus dicitur, in quantum corpus, ex quo resultat animatum, animatur ab anima, quod corpus, quia perficitur ab anima ipsum anima perficit, sed ex perfectione vnita subiecto, & ex subiecto ipso resultat vnum perfectum, quia ex vi vnionis componitur concretum, quod denominatur ab ipsa perfectione tanquam a forma, omne enim concretum resultans ab aliqua formalitate ab ipsa denominatur; sed perfectio vnita subiecto est forma, vel ratio formalis constitutiva concreti resultantis ex illa; quia subiectum potius materiale, quam formale, vt discurrendo per omnia concreta patet: ergo tale concretum denominatur, & constituitur perfectum a perfectione illa, sicut album ab albedine, & dulce a dulcore, seu dulcedine, &c. ergo perfectio vnita subiecto perficit illud, cui vnitur; sed perfectio actus vitalis vnitur Deo, quia constituit illum, & coniungitur ipsi, vt reddat illum amantem ac viuientem: ergo perfectio actus vitalis perficit Deum: ergo Deus perfectibilis est ab ipso, quia ab actu ad potentiam bene valet consequentia, sicut id quod producit, necessario producibile est, quia si non esset producibile, non produceretur actu: sed id, quod perfectibile est, potentiale, & imperfectum est.

Quia id quod perfectibile est a perfectione, est actuabile ab actu, quia sicut actus, & perfectio sunt synonyma, & identificantur inter se, ita actuabile, & perfectibile identificantur; unde nullo perfectibile reperitur, quod non sit actuabile a perfectione tanquam ab actu; sed omne actuabile est potentiale, quia omne actuabile est id, cui correspondet actus, sed id, cui correspondet actus, est potentia & potentiale, nam actus

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 383

seu constitutivis Dei volentis, sed vnitas est indiuisio; ergo indiuisio debet dari inter actum liberum, & Deum, qui coequantur ad constitutionem Dei volentis: atqui duplex tantum indiuisio potest assignari, alia indiuisio simplicitatis, seu identitatis, alia compositionis, & vnionis; sed inter actum liberum, & Deum, ex quibus coalescit vnus Deus volens, non datur indiuisio, seu vnitas identitatis, & simplicitatis, quia non sunt idem, sed potius distinguatur à parte rei: ergo datur inter Deum, & actum liberum, vnitas, & indiuisio compositionis & vnionis, quia si neque daretur indentitas, neque vnio, nulla daretur indiuisio inter constitutiva Dei volentis: ergo daretur diuisio inter illa: ergo in effectu formali non potest dari vnitas, quia iam daretur in effectu formali, quatenus constituitur, à suis constitutivis ratio opposita ei, quæ reperitur in ipsis, quod est falsissimum, alias albedo posset constituitur nigrum, lux tenebrosam, negatio affirmativum, & relatio absolutum, quod est omnino absurdum, quia non solum effectu datur ratio opposita causæ vel quasi causæ, sed potius nihil est in effectu vel quasi effectu formali, quod formaliter non contineatur in causis, vel quasi causis constitutivis ipsam: atqui diuisio & pluralitas opponuntur vnitati, & indiuisio: ergo à causis omnino diuisis vel à constitutis ut melius loquar, in quibus nullo modo est vnitas, nullo modo potest constitui concretum vnum; atqui ex actu libero & Deo resultat & constituitur vnus Deus volens: ergo vnitas illius relucet formaliter in constitutivis illius, scilicet in actu libero & Deo: ergo in ipsis datur indiuisio, & vnitas, quæ cum non possit esse identitatis, & simplicitatis, necessario erit vnionis, & compositionis: erit ergo perfectio actus vitalis vnita Deo.

Sed perfectio vnita subiecto capaci illius perficit illud, & subiectum perficitur ab illa, perfectibileque est respectu eiusdem: ergo Deus perficitur, & perfectibilis est ab actu vitali: ergo imperfectus est Deus.

SUBSECTIO II.

In qua amplius confirmantur dicta.

383 **Q**uia id, quod capax est formalitatis imperfectæ, seu imperfectionis, tanquam exercitium proprium, est imperfectum: atqui Deus est capax actualis vite tanquam exercitij, quæ maximam imperfectionem habet, & imperfecta maxime est secundum vestra principia: ergo Deus secundum illa maxime imperfectus est. Maior est evidens, ideo Deus est intellectivus quia est capax, tanquam proprium exercitij intrinseci actualis intellectus, & ideo creatura est peccabilis, quia est capax exercitij peccati intrinsece inficitur ipsam. Itaque talis est actus primus secundum proportionem, qualis est actus secundus intrinsecus perficiens ipsum; unde quia creatura habet pro exercitio formalitates habentes imperfectionem, imperfecta dicitur.

Minor prima & præcipua, in qua est tota difficultas manifeste, & evidenter sic demonstratur, quia omne corruptibile, & potest desinere esse, habet omnium imperfectionum maximam, & radicem vniuersalem omnis imperfectionis, quæ fundatur in limitatione, & finitudine, quæ etiam

prima imperfectio est; quapropter si Deus per impossibile esset corruptibilis, & posset desinere esse, & destrui in esse, ac tandem non haberet esse omnino necessarium, sine dubio non esset à se, & independens, ac imparticipatum, & per consequens non esset infinitum simpliciter, ut patet ex supra dictis, ex quo sequeretur evidenter, esse ab alio dependentem, finitum simpliciter, & limitatum, quæ sunt maxime imperfectiones.

Sed actus liber Dei per vos potest non esse in Deo, & non est omnino necessarius inesse, & ideo per vos potuit ab esse à Deo si nolisset: ergo est ab alio dependens, finitus, & limitatus: ergo habet maximas imperfectiones, quare licet habeat aliquam perfectionem, sicut etiam actus vitalis creature habet illam, nihilominus illa non erit pura perfectio, sed admixta in numeris imperfectionibus, eo modo quo etiam actus vitalis creatus admiscetur illis.

Confirmatur totus hic discursus, quia omnis ratio formalis vnita subiecto capaci illius, constituit ipsum subiectum secundum formalitatem, quam ipsa habet in se; & ideo quatenus perfectio constituit ipsum perfectum: sed perfectio illa non est pura perfectio, sed admixta imperfectis omnibus: ergo non reddit subiectum pure perfectum, sed potius admixtum imperfectionibus, à quibus potius imperfectum absolute denominari debet quam à perfectione, cui admiscetur perfectum debet appellari, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu: ergo actus liber Dei, qui est perfectio admixta imperfectionibus, ut patet ex dictis secundum vestra principia vnitus Deo, reddet ipsum simpliciter, & absolute imperfectum etiam si secundum quid constituitur perfectus ab illis.

Vnde hoc argumentum potius vrgeret, & magis cogeret adversarios ad fatendum id quod dicimus, si dicatur: actus liber Dei esse idem cum Deo, & non distinguere à parte rei ab ipso; nam actus liber Dei habet imperfectionem non necessario existendi, &c. ergo idem ipse habet tales imperfectiones, & est imperfectus ab illis: sed actus liber est idem ipse Deus: ergo idem ipse Deus habet imperfectiones supra dictas, & est imperfectus ab illis, alias idem haberet, & non haberet simul imperfectiones quod omnino repugnat, quia impossibile est, idem simul esse, & non esse: sed hæc omnia sunt absurda hæretica: ergo ne illa verificentur de Deo, dicendum est, actum liberum Dei necessario habere esse, & non potuisse non esse. Et sic falsissima est opinio Caietani.

Deus, licet actus liber Dei simpliciter potuerit non esse, nihilominus ex suppositione, quod semel est, non potest non esse.

Sed contra manifeste; quia hoc ipsum, scilicet non esse ens absolute, ac simpliciter, & intrinsece necessarium, & absque vlla suppositione, seu hypothese, hoc est absolute, & simpliciter posse non esse, est magna imperfectio; unde si essentia diuinæ aliquis appingeret, & tribueret, quod simpliciter posset non esse, etiam si ex suppositione, quod est, non posset, non esse maximam imperfectionem tribueret illi; sed per vos actus liber Dei, licet ex suppositione non possit non esse, nihilominus absolute, ac simpliciter potuit non esse: ergo absolute, ac simpliciter est imperfectus, præsertim quia, quod ex suppositione non possit non esse; non habet ex se, sed ad summum ex immobilitate, & constantia

stantia diuinæ voluntatis; tamen si consideratur conditio, & natura illius perfectionis liberæ ei ex se non repugnat, iterum non esse, cum absolute non sit ens necessarium; unde ab extrinseco solum, & non ab intrinseco est incorruptibilis, sicut v. g. Angelus ex suppositione quod Deus decreuit ipsum durare in æternum non potest non esse; sed quia hoc est ab extrinseco, ex constantia diuinæ voluntatis decernentis, non corrumpi talem Angelum, ille non potest non durare: sed hoc non tollit imperfectionem contingentiam ab intrinseco illius, ratione cuius non repugnat illi corruptio, defectio, seu annihilatio: ergo similiter actus liber Dei, licet ex suppositione decreti Dei de non destruendo illum non possit non esse, nihilominus hæc suppositio non tollit, quin habeat imperfectionem contingentiam ab intrinseco essendi, & non essendi: ergo simpliciter est imperfectus.

Fulcitur hæc ratio, quia hic actus liber Dei est eiusdem rationis cum aliis actibus liberis, quos nunc non habet Deus, & potuit habere: sed illi actus, qui nunc non sunt, & sunt in statu puræ possibilitatis, nullam habent existentiam, & sic possibilitas eorum est separata ab eorum existentia: ergo nullam habet possibilitas connexionem necessariam cum existentia vniionis actualis ab intrinseco, & essentialiter, imo neque ab intrinseco naturaliter: nam si talem connexionem vniionis actualis haberent essentialiter, nunquam essent separate, sed potius semper essent vnite actualiter possibilitas actus liberi, & existentia eius; sed actu non sunt vnite, siquidem multi sunt possibiles actus liberi, qui acti non existunt, v. g. in sententia Thomistarum, ideo ab æterno prædicatum essentialiter rationalis est vnium cum animali, ac proinde nunquam possunt separari rationale, & animal, quia vniuntur, & connectuntur essentialiter, quapropter si videremus ab æterno rationale diuisum ab animali, euidenter dicendum esset, non vniiri essentialiter, & quando vniuntur non repugnare illi, vt diuidatur, quia talis diuisio, supposito quod de facto conuenit illi, non repugnat ipsi, neque vniio repugnat etiam ipsi, ac proinde quantum est de se ab intrinseco, potest sine repugnantia vtrumque habere ex se, etiam si semel vniatur.

Verbi gratia, quia videmus possibilitatem aliquius creaturæ actu esse diuisam ab eius existentia, & actu manere in statu puræ possibilitatis, iudicamus talem diuisionem illi naturaliter conuenire & quia videmus possibilitatem respicere existentiam, iudicamus non repugnare illi vniionem cum existentia. Itaque vtrumque posse habere ab intrinseco, scilicet existentiam, & carentiam illius. Ex quo amplius discurrendo dicimus, cum creaturæ, quæ de facto habent existentiam, sint eiusdem rationis cum illis, quæ purè possibiles sunt; ita actu habere existentiam beneficio Dei vt ab intrinseco, & quantum est de se, non repugnet illis carere existentiam, & redire ad statum puræ possibilitatis; quia contrariorum eadem est disciplina, & ratio; sed creaturis habentibus carentiam existentiam, adhuc ex suppositione quod habeant illam, non repugnat desinere talem carentiam, & inducere existentiam oppositam tali carentiam: ergo è contra creaturæ habenti existentiam, adhuc ex suppositione, quod illam habeat, non repugnat carere illa, & quod auferatur ab ipsa.

Et ratio est, quia sicut Deus libere omnino à

principio tribuit illi existentiam, ita postquam tribuit libere omnino conseruat cum illa; quia semper Deus conseruat dominium plenum circa illam.

Sed actus liber Dei, qui nunc est, & ille, qui nunc non est & potuit esse, sunt eiusdem rationis, quantum ab intrinseco; si quidem sunt duæ volitiones de creando ipso mundo, & actus liber, qui nunc non est, & potuit esse; ita habet carentiam existentiam, vt adhuc ex suppositione, quod illam habeat, quantum est de se ab intrinseco, illi non repugnet desinere talem carentiam, & habere oppositam existentiam: ergo è contra actus liber Dei, qui nunc existit ita habet existentiam, vt illi non repugnet ab intrinseco privari existentiam, & habere carentiam illius; nam sicut Deus libere dedit tali actui, quod existat primo, ita postquam existit, potuit Deus non conseruare actum in sua existentia: ergo ab intrinseco actus liber Dei est omnino corruptibilis, annihilabilis, & destructibilis: ac proinde ab intrinseco contingens ad essendum, & non essendum: ergo maximam imperfectionem habet actus liber Dei, ac proinde reddit Deum omnino imperfectum.

Quod amplius euidenter patet, quia illi actus, qui non sunt, & potuerunt esse absolute, nihil sunt nunc, & cum esse potuissent habent suam non repugnantiam ad essendum; atque adeo sunt simpliciter possibiles obiectiue; hæc autem est quasi transcendentalis imperfectio creaturarum, imo sancti omnes radicem omnium imperfectionum creaturarum omnium in hoc ponunt, quod ex se sunt nihil, id est non sunt actu, ex quo necessario consequitur, quod isti actus, quando sunt, non possunt esse suum quidditativum, & essentialiter; nam ens quod huiusmodi est, nunquam potest concipi, aut esse sub nihilo; ens autem quod non est essentialiter suum esse est ens participatum, finitum, & imperfectum.

Ex quibus euidenter colligitur, talem actum liberum qui actu non est, & potuit esse & nunc purè possibilis est, ac proinde simpliciter & absolute non est, aut nihil est, essentialiter à parte rei distinguì à Deo, neque à parte rei esse identificatum cum ipso, aut posse identificari cum eodem, Pater consequentia; quia id, quod essentialiter & necessario est, & nullo modo potest non esse, & de cuius essentia est ipsa existentia actualis, & se ipso necessario, & essentialiter existit, habet prædicata essentialia, & quidditativa quæ non habet id quod actu non est, & contingenter potest esse; nam primo non habet pro essentia & quidditate existentiam, Secundo non habet pro prædicato essentiali esse à se, quoad existentiam. Item esse incapax privationis existentiam, sicut habet Deus: atqui subiecta ea, quæ ita se habent, vt vnum habeat prædicata essentialia quæ alterum non continent, sine dubio distinguuntur essentialiter à parte rei, vt videre est in homine, & Angelo, equo & leone, qui ideo distinguuntur essentialiter, quia non habent à parte rei eadem prædicata quidditativa, & essentialia. Et ratio est quam tribuit Aristoteles, cum dixit, essentias esse sicut numeros; nam sicut numerus distinguitur essentialiter ab alio per solam ablationem, vel additionem unitatis; ita similiter essentia distinguitur per negationem, aut affirmationem prædicatorum essentialium, hoc est per distincta prædicata essentialia, quæ reperiuntur in subiectis: ergo si Deus habet supradicta prædicata essentialia infiniti diuis simpliciter

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 385

simpliciter in omni genere, existentia à seipso &c. quæ minime habet actus liber, qui nunc non existit, & potuit existere (alias si esset à se essentialiter, quod est esse infinitum simpliciter, simpliciter, & necessario existeret, & nunquam posset esse sine existentia, ut videre est in Deo) sine dubio Deus, & talis actus liber distinguitur essentialiter & à parte rei sine vlla fictione, præcipue quia Deus actu existit à parte rei, & actu est ens simpliciter, & actus ille liber à parte rei non est ens simpliciter, quia actu vere, & realiter non existit, licet potuerit existere, nam separantur realiter, & sic distinguuntur.

Ex quo amplius colligo nullo modo posse identificari cum Deo, etiam si daretur in ipso Deo; quia ea, quæ à parte rei distinguuntur essentialiter & quidditative, nullo modo possunt identificari, ut videre est in homine, & equo, albedine, & nigredine, qualitate, & substantia, v. g. substantia panis nullo modo potest identificari à parte rei cum accidentibus panis, unde quando identificantur per intellectum duæ essentia distinctæ, dicimus fieri chymeram, & impossibile adeo magnum, ut implicet contradictionem, ratione cuius Deus adhuc per potentiam absolutam non possit talem identificationem facere, & tota ratio est, propter distinctionem essentialem realem, quam habent; sed etiam actus liber Dei, qui nunc non est & potuit esse, distinguuntur quidditative, & essentialiter à parte rei: ergo non possunt identificari à parte rei.

Vnde vltimum corollarium eruiamus dicendo, actum liberum, qui de facto est in Deo, non solum non identificari cum Deo, sed neque posse villo modo identificari cum ipso, quia etiam quidditative, & essentialiter distinguuntur Deus, & actus liber illius, quia actus liber non habet pro prædicato essentiali existentiam, neque existit à se essentialiter, quia per vos actus ille qui existit, ex eo quod liber est, potuit non existere in Deo à parte rei; atqui si de essentia eius esset existentia, ac proinde si esset à se existens, nunquam potuisset non existere, quia res nunquam potest non habere omnia sua prædicata essentialia; sicut homo non potest esse sine rationalitate, & Deus non potest esse sine sua existentia: sed actus liber, qui nunc est, potuit non habere existentiam, quam habet: ergo existentia non est prædicatum essentialia actus liberi, qui nunc est: ergo actus liber, qui nunc est, non est à se: ergo ab alio: ergo essentialiter non est infinitus in omni genere; quod concedit Caietanus, & ideo dicit, actum liberum Dei non esse magnam perfectionem, vel simpliciter simplicem, sed potius perfectionem secundum quid, & diminutam, Deum autem, & essentiam eius esse perfectionem summam infinitam simpliciter in omni genere, ac per consequens perfectionem simpliciter simplicem sine limite, & sic actum liberum esse contingentem essentialiter, ratione cuius potuisse non esse, Deum autem è contra essentialiter esse necessarium, & nunquam potuisse non esse: ergo Caietanus aperte & evidenter fatetur essentialiter distingui Deum, & actum liberum actu existentem in ipso: ergo evidenter, & essentialiter debet concedere, non posse actum liberum existentem in Deo identificari cum ipso Deo; unde falso asserit ipse, quod licet actus antequam existat in Deo distinguatur ab ipso, nihilominus actum existentem postquam existit identificari cum ipso.

I. P. Tom. II.

Et videtur, quia actus liber, qui nunc non est, & potuit esse est eiusdem rationis cum cæteris actibus, qui nunc existunt, sed illi ut probatum manet, non possunt identificari cum ipso Deo: ergo neque actus, qui nunc existit identificatur, & ratio universalis est, quia etiam hæc perfectio libera ex se prius natura fuit sub esse possibili quam actuali, & habet essentiam possibilem, quæ quantum est ex se potuisset non actu esse, huiusmodi autem res eiusdem est essentia, siue actu existat, siue non: ergo eandem distinctionem retinet à quacunque alia essentia, à qua ex se distinguitur, id esse essentia eo vel maxime, quod necesse est etiam esse existentia esse distinctum à parte rei in huiusmodi rebus; nam esse existentia voluntatis divina est esse per essentiam intrinsecè necessarium, esse autem existentia illius perfectionis libera non est ita necessarium, sed absolute loquendo potuisset non esse: ergo impossibile est quod tale esse sit vnum, & omnino idem in re ipsa: sunt ergo impossibilia, & repugnantia illa duo, quæ simul coniungit illa sententia, scilicet esse perfectionem liberam realem & quæ absolute posset non esse, & nihilominus quando est, non esse in re distinctam à perfectione necessaria rei, & voluntatis eius.

Ex quibus cum Patre Suarez vnum, & maximum inconueniens eruitur contra Caietanum, videlicet aliquid, quod ex se est nihil, & re ipsa posset manere sub nihilo, esse vere, formaliter, ac essentialiter Deum, & è conuerso aliquid, quod nunc est vere, & essentialiter Deus, tale esse quod absolute loquendo posset non esse, hoc autem maxime pugnat cum Deo. Sequela videtur evidens ex his, quæ docet illa sententia, nam si perfectio libera in re non distinguitur ab essentia Dei: ergo includit in se totam perfectionem diuinæ essentia: ergo est essentialiter Deus. Item quia vel illa perfectio est Deus, vel non? si non est Deus, sequuntur multa inconuenientia supra illata, nimirum aliquid esse in Deo, quod non est Deus, vel (quod mirabilius est) aliquid esse omnino idem cum Deo, quod tamen non sit Deus. Item si non est Deus, nec substantia increata erit: ergo vel erit substantia creata, vel accedens, & nihilominus erit aliquid indistinctum à Deo, quæ omnia, & similia sunt absurda, & repugnantia. Si autem illa perfectio libera est vere Deus: ergo est essentialiter Deus, quia non est Deus per participationem, sed verus Deus; nulla autem res potest esse verus Deus participatiue, aut accidentaliter: ergo necesse est, ut sit essentialiter Deus. Probatum iam falsitas consequentis, nam cum Deus sit ens per se necessarium, & hoc sit maxime proprium eius, & in quo primario distinguitur à quolibet alio ente, impossibile est, quod aliquid ens liberum sit essentialiter Deus.

Et declaratur hoc ex quadam recepta doctrina Sanctorum, & Theologorum omnium, qui docent, processiones diuinas ad intra, etsi voluntariae sint, non tamen posse esse liberas propria libertate indifferentia; quoniam quælibet persona procedens est verus Deus, cui repugnat indifferentia ad essendum, & non essendum, quia de ratione eius est intrinseca necessitas essendi; unde hæretici Ariani, ut docerent, Filium esse creaturam, asseriebant voluntate Patris libera fuisse productum, quam consequutionem Concilia, & Sancti Patres, existimauerunt necessariam, & ideo antecessens illud hæresis damnarunt, ut videre est in Hylario

C. c. lib.

lib. de synodis ant. hemare. 24. & in Concilio Tolitano 11. in confessione fidei. & Augustino 15. de Trinit. cap. 10. & D. Thoma 1. p. q. 41. art. 2. & alijs Theologis; existimant ergo esse impossibile aliquid, quod ex voluntate libera habet, ut sit vel non sit esse Deum. Et similiter existimant, impossibile aliquid reale esse intra Deum, quod simpliciter loquendo possit esse, & non esse, unde si interrogemus a Caietano, cur relatio Paternitatis creatæ, cur iustitia, misericordia, intellectus, &c. possint esse, & non esse habereque contingentiam ad essendum, & non essendum. Item cur substantia quæcunque creata siue spiritalis, siue corporea sit, possit esse, & non esse formaliter à parte rei, & non repugnet illi ab intrinseco, quod destruat; contra vero si quærat ab aduersarijs, cur paternitas diuina, iustitia, misericordia, sapientia, & reliqua attributa diuina nullam habeant contingentiam formalem ad essendum & non essendum, nullamque indifferentiam habeant ad hoc, ut desinant esse, imo illis repugnat, quia tales perfecti ones sunt diuinæ identificate cum Deo, qui per essentiam existit, & à se est, ac proinde illi omnino repugnat, aut posse amittere existentiam, aut potuisse non existere; quia est omnino, ac simpliciter necessarium ens.

Sed per vos non minus identificatur actus liber Dei, qui existit in ipso, cum Deo; quam relationes diuinæ & attributa absoluta: ergo evidenter sequitur, sicut attributa, & relationes sunt omnino necessaria à se sine vlla contingentia ad essendum, & non essendum; & sicut nullo modo potuerunt non esse; ita similiter actum liberum existentem est: à se omnino necessarium sine vlla contingentia formali, ac per consequens sine eo, quod potuerit non esse. Quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus formalis; sed tota ratio formalis, propter quam attributa diuina, & relationes nunquam potuerunt non esse, est quia sunt ipse Deus ratione identitatis cum ipso, cui omnino repugnat potuisse non esse; quæ ratio formalis identitatis cum Deo per vos reperitur in actu libero actu existente, & sic est ipse Deus: ergo in actu libero datur idem effectus, vel quasi effectus formalis videlicet, quod illi omnino repugnet potuisse non esse; unde si habet contingentiam formalem, ita ut potuerit non esse, sine dubio distingueretur realiter à Deo, cui repugnat talis contingentia; quis enim sibi persuadeat dari realitatem quandam, seu perfectionem realem ex se indifferentem, ut sit nihil, vel ut sit Deus; quod non solum incredibile est, sed etiam graviter offendit aures pias; tum quia illam indifferentiam est magna imperfectio & consequenter repugnat ei ut formaliter possit esse in Deo identificata cum ipso; tum etiā quia illa indifferentia repugnat cum esse Dei, de cuius intrinseco conceptu est necessitas essendi; unde in ipsis terminis involuitur contradictio, cum implicet omnino duas res includentes in suis proprijs conceptibus oppositas, ac repugnantes rationes, else indifferentes, ut distinguantur, & identificentur; sed Deus, & hæc perfectio libera habent omnino oppositas rationes; nam Deus est ens necessarium, cui ex vi propriæ differentie repugnat indifferentia ad esse & ad potuisse non esse, quia illi convenit essentialiter determinatio ad existentiam, actui vero libero per vos ex vi suæ differentie convenit

indifferentia ad esse, & potuisse non esse: ergo impossibile est, ut in eandem omnino simplicem, & indivisibilem entitatem coalescant.

Quod amplius declaratur, quia sicut implicat posse dividi, & distingui realiter ea, quæ semel identificantur; ita similiter omnino repugnat, ea, quæ semel distinguuntur, posse identificari inter se. Unde tantum repugnat Petrum distinguui realiter à se ipso, quantum repugnat, Petrum, & Paulum, qui distinguuntur realiter, posse identificari aliquando; sed actus liberi Dei, qui actu non est, & potuit esse, actu distinguui à Deo, tanquam nihil ab ente, vel tanquam ens à non ente, vel tandem tanquam ens actu ab ente purè possibili, quæ distinctio nullo modo est ficta per intellectum, sed potius datur à parte rei, & in ipsis rebus conspicitur; quapropter si illa duo considerentur secundum esse essentia, distinguuntur maxime ex natura rei, non solum distinctione quomodocunque reali, verum etiam prima diversitate: ergo implicet contradictionem, quod potuerunt identificari inter se actus liber, & Deus, quia alias Deus imperfectissimus esset; siquidem ex ipso actu libero identificata cum Deo responderetur in Deum imperfectio maxima indifferentiæ ad essendum, & non essendum dictæ, ideo enim creatura habet summam imperfectionem, quia habet contingentiam similem huic, quæ reperitur per vos in actu libero; sed etiam illa imperfectio reperitur in Deo ratione identitatis cum actu libero: ergo Deus ratione talis identitatis esset imperfectissimus.

Tandem hoc ipsum amplius confirmatur, quia si Deus haberet tales actus liberos, quales ponit Caietanus, Deus non esset perfectio simpliciter simplex in essentia sua absoluta: sed quod absolutum est, & non est perfectio simpliciter simplex, non solum est perfectio secundum quid sine imperfectione, sed potius est perfectio secundum quid cum imperfectione, ac proinde potius imperfectio simpliciter, quam perfectio dicenda est, & hoc evenit ex discrimine inter perfectionem absolutam, & relationem reperto; nam perfectio relativa ex extrinseca ratione habet, ut non possit esse perfectio simpliciter absque vlla imperfectione, quia illa oppositio non est imperfectio, neque excludit à singulis relationibus omnem aliam perfectionem simpliciter, & infinitatem in genere entis simul cum infinita perfectione in proprio genere; at vero perfectio absoluta ex hac generali ratione non habet, quod non sit perfectio simpliciter, alias nulla else posset perfectio simpliciter: ergo quod aliqua perfectio absoluta non sit simpliciter perfectio semper provenit ex imperfectione admixta; nam cum ex communi ratione perfectionis absolutæ non habeat repugnantiam cum aliqua alia perfectione maiori, vel æquali, quod secundum propriam rationem talem repugnantiam habeat, non est sine imperfectione, maxime quia omnis oppositio inter absoluta semper includit imperfectionem saltem ex parte alterius extremi, quod imperfectum est; itaque omne quod non est perfectio simpliciter excludit simpliciter perfectionem; sed non excludit ratione puræ essentialis absolute: ergo excludit ratione puræ essentialis perfectionis, quæ imperfectio est: ergo absolutum, quod non est perfectio simpliciter imperfectio est, quapropter si Deus secundum essentiam

essentiam absolutam non est perfectio simpliciter simplex, dicitur imperfectio simpliciter.

Sequela illa maioris primae, ac praecipue sic probatur; quia ea essentia, cuius attributa non sunt perfectiones simpliciter simplices, non est perfectio simpliciter simplex; nam eo modo sunt attributa absoluta, quo est essentia, quam consequuntur talia attributa, praecipue quando attributa, & essentia sunt idem ut contingit in Deo; quia impossibile est, idem esse perfectionem simpliciter simplicem, & non essendum, & ut absoluta perfectiones non simpliciter, sed secundum quid; ac proinde cum imperfectionibus attributa divina absoluta dicerent imperfectio simpliciter: ergo si darentur in Deo, actus liberi ut ponuntur à Caetano, Deus in sua essentia non esset perfectio simpliciter simplex, &c.

Minor sic probatur, quia actus liberi Dei sunt virtutes divinae morales, v.g. iustitia, misericordia, charitas, &c. sed virtutes huiusmodi in sententia omnium Theologorum, & in ipsius Caetani opinione quatenus sunt infinitae, sunt attributa, & perfectiones divinae: sed actus liberi Dei per vos huiusmodi sunt absolutae formalitates, & non sunt perfectiones simpliciter simplices, sed potius secundum quid habentes contingentiam supradictam, & reliquas imperfectiones numeratas: ergo si actus liberi Dei sunt ut à Caetano ponuntur; attributa divina absoluta non erunt perfectiones simpliciter simplices.

Respondet Caetanus, attributa divina esse perfectiones simpliciter simplices, quia talia non sunt liberalitas, iustitia, misericordia in actu secundo, sed potius in actu primo, & quatenus sunt potentiae ad huiusmodi actus in actu secundo.

Sed contra manifeste primo, quia perfectius est absolute, ac simpliciter habere perfectiones in actu secundo quam in actu primo; unde melius cognoscere Deum, & videre ipsum per visionem beatificam, quam posse videre ipsum. Sicut melius & perfectius est amare Deum, quam posse amare, ipsum; sicut perfectius est vivere, & habere vitam actualem, quam posse vivere, & sicut turpius, & peius est odire Deum, quam posse odio habere illum, & imperfectius est peccare letaliter quam posse peccare, sed contrariorum eadem est disciplina, & ratio opposito modo: ergo perfectius erit, & melius habere perfectiones in actu secundo quam in actu primo; unde D. Thomas non concedit in Deo à parte rei potentiam rigorosam ad intelligendum, sed potius purissimam, & actualem intelligere; imo ipse Caetanus acriter invehit in illos qui dicunt, essentiam Dei non esse actualem existere, sed potentiam ad existendum; atqui deo per vos, & secundum fidem, & rationem naturalem debemus tribuere perfectiones perfectiori modo, quo possumus intelligere, quia ut supra demonstravimus deus est quid perfectius, & melius omni alio, quod possumus excogitare: ergo attributa divina, & perfectiones potius in actu secundo sunt ponendae, quam in actu primo; sed in actu secundo sunt perfectiones secundum quid, & non simpliciter per vos: ergo attributa divina, & proprietates eius absolute non erunt perfectiones simpliciter simplices, sed potius secundum quid, & imperfectiones simpliciter.

I. P. Tom. II.

Urgetur, quia magnam imperfectionem tribui Deo Caetanus, ponens in illo actum primum proprium & separabilem à secundo & actuabilem per illum.

Dices talem actum primum semper esse reductum ad aliquem actum secundum, ac proinde non dicere illam imperfectionem.

Sed contra manifeste; quia per te Angelus semper est in actu secundo intelligendi se ipsum, & amandi se, & nihilominus per te Deus perfectiori modo se habet in intellectione, & amore sui, quam Angelus, cuius rationem tribuis; quia Angelus imperfecte se habet in hoc, eo quod intelligat, non per suam ipsam substantiam, ut Deus; sed per actum exercentem potentiam distinctam realiter ab ipso actu; nam habere potentiam informabilem ab actu, est maxima imperfectio opposita summae actualitati, qualem habet deus: sed per vos etiam si deus habeat potentiam reductam ad actum, habet nihilominus veram potentiam distinctam realiter ab actu secundo informabilem per illum ut Angelus: ergo habet eandem imperfectionem, quam Angelus.

Deinde, quia hoc quod est esse in aliquo actu secundo non excludit, quin respectu infinitorum actuum secundorum sit verè actus primus, & vera potentia, quia respectu infinitorum decretorum quae actu non habet, & potest habere ex se est in potentia, quia caret illis, & est capax ad illa & per illa decreta constitueretur in actu ultimo.

Item nulla ratio reddi potest, cur potius talis actus primus sit perfectio simpliciter, quam talis actus secundus, nisi assignando aliquam imperfectionem adiunctam, & ea quae in ipsismet terminis actus primi, & secundi imbibitur, potest assignari; illa tamè satis declarat talem actum, tam secundum, quam primum non posse esse perfectionem simpliciter: quia neuter est actus purus, cum inter se comparentur ut potentia, & actus. Praeterea, quia actus ultimus immanens perfectior est, quam potentia, ut iam dixi, sed in Deo est perfectio simpliciter simplex potestas libera ad volendum creare: ergo à fortiori ipsa volitio actualis est perfectio simpliciter simplex; & è contra, si actus liber immanens, qui ex suo conceptu petit, quod sit perfectior, quia est actus ultimus, non est perfectio simpliciter simplex, à fortiori potentia, seu actus primus qui ex suo genere imperfectior est, non erit perfectio simpliciter simplex, praesertim, quia actus primus respectu actus vitalis distincti realiter ab ipso actu primo, non solum est potentia activa, sed etiam passiva, ut videbimus *subsecutione sequenti*; sed potentia passiva est imperfecta: ergo talis actus primus imperfectus est, & sic non erit perfectio simpliciter simplex; unde attributa & proprietates divinae non erunt tales, sed potius innovent imperfectionem; sed talis est essentia qualia sunt attributa, & proprietates: ergo si proprietates, & attributa Dei dicunt imperfectionem, & non sunt perfectiones simpliciter simplices, ipsa essentia non erit perfectio simpliciter simplex, sed potius erit imperfectissima.

Tum quia est idem cum illis attributis, tum etiam quia tota essentia Dei per vos non includit hanc realem imperfectionem actus liberi, sed est capax ut illa superaddita perficiatur, vel careat hac perfectione: est autem inconueniens hac capacitas, & quasi potentialitas in essentia Dei, tota integra; ex quo sequitur secundum inconueniens, videlicet, ut hac capacitas par-

CC c 2 177

tim sit perfecta per actum, partim careat ea perfectione actuali, cuius erat capax, videlicet volitionibus liberis creandi alios mundos; unde sequitur tertium, inconueniens, quod tota hæc capacitas potuisset omni sua perfectione carere, saltem ea, quæ consistit in volitione positiva creandi, quæ quamvis ex eo quod volitio libera sit, non foret perfectio simpliciter, sed tantum esset perfectio secundum quid; si tamen poterat Deo contineri sine imperfectione, Deus non debuisset illa carere, si vel minima perfectione Deum perficeret; v.g. diuinitas petit relationes diuinas, quæ non sunt perfectiones simpliciter simplices, sed solum vocantur perfectiones in genere relativo; eo quod petit illas, & est capax illarum, necessario habet illas in actu, quia in æternis, & diuinis idem est actu esse, ac posse; quia Deus nunquam est in potentia ad propriam perfectionem.

SUBSECTIO III.

In qua tertium argumentum principale ponitur contra adversarios.

Quia in Deo secundum fidem catholicam nullum potest dari accidens reale intrinsecum ipsi Deo: sed ex sententia Caietani evidenter sequitur, actus liberos Dei esse vera, & realia accidentia intrinsecè existentia in Deo: ergo actus liberi Dei nequaquam sunt in Deo eo modo quo ponuntur à Caietano.

Maiores est certa & infallibilis, & patet. 1. ex scriptura, quæ quadrifariam indicat in Deo nulla esse accidentia, sed quicquid in ipso est, esse substantiam: primo cum significat Deum esse perfectissimum ens, & nullam rem posse cum illo comparari, ut constat clare ex locis supracitatis: sed non est ens perfectissimum quod indiget accidentibus, ad sui perfectionem: ergo. Deinde cum ea, quæ in creaturis accidentia sunt, tribuit soli Deo tanquam per se existentia, & subsistentia, quia scilicet ipsi soli conveniunt, & ipsius essentiali, atque adeo perfectissimo modo, ut potentia prima ad Thimor. 6. fortitudo. 1. Regum 2. Iustitia 2. Machab. 1. Tertio cum ea item, quæ in creaturis accidentia sunt, in abstracto etiam significata affirmat, esse Deum ipsum, aut Deum esse illa; quo ipso indicat, illa esse substantiam eam, quæ Deus est ut Proverbior. 8. Filius Dei qui vera substantia est, vocat se Sapientiam, & Ioann. 1. Deus erat verbum, & Ioan. 14. Ego sum veritas, & 1. Corinth. 1. Christum Dei sapientiam &c. quarto denique cum affirmat, Deum esse omnino immutabilem. Numer. 23. Psalm. 101. Iacobi. 1. &c. omne enim illud, quod accidentibus subiectum est, videmus habere aliqua accidentia, secundum quæ sit mutabile.

Secundo, eadem maior probatur ex Sanctis Patribus qui eam manifeste docent, & 1. Sanctus Cyrillus lib. 11. thesauri, cap. 1. ibi: [accidens Deo nullum in esse potest, perfectio enim ex se ipso nihil potest accidere] & infra amplius id explicat his verbis: [sapienter certe dicitur nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se ipsa perfecta est; sed tamen cogimur non nunquam quasi accidentia, etiam si non omnino accidant Deo hæc dicere, & mente accidentium modo concipere] quod aperte docuit S. Leo Pon-

tifex maximus *Epistola decretali. 93. ad Toribium. cap. 5. ibi.* [solus Deus nullius participationis est indigens, de quo quicquid digne vicinque sentitur, non qualitas est, sed essentia, incommutabili enim nihil accidit, nihil deperit, quia esse illi quod est, semper æternum, semper proprium ei est;] nempe intime & substantialiter, ubi Sanctus Doctor maximum inconueniens asserit, quod Deus habeat accidentia, quia ex hoc summum absurdum contra fidem sequeretur, videlicet Deum esse ens participatum, & perfectionum extranearum indigentem; nam ex eo quod Deus nullius participationis est indigens, sed est à se, arguit Sanctus Doctor est indigens, & iure quidem optimo, quia cum sit ens primum, est per essentiam suam ipsum esse plenissime habens optimo modo quicquid perfectionis ad totum ambitum esse, seu entis pertinet: ergo per suam ipsam essentiam, & entitatem simplicissimam habet quicquid ad eius perfectionem necessarium est: ergo ad illam non indiget formalitatibus accidentibus illis, seu quæ accidentia vocantur, & ideo Gregor. Nicenus homil. 5. in Cantica, à diuina essentia omnia reperiuntur procul accidentia his verbis: [nihil est quod circa ipsam consideretur, quod illi accidere possint, non tempus, non locus, non figura, non quantitas.] Item docet Augustinus lib. 5. de Trinitate, cap. 16. ubi late demonstrat propter summam perfectionem diuinam, nihil ei convenire posse, quod nomine accidentis insigniatur. Idem fere habet Anselmus in Monolog. cap. 24. & Dionys. cap. 9. de divinis nominibus; quod etiam late probat D. Thomas 1. p. q. 13. art. 7. & quest. 7. de pot. art. 4. his rationibus probat, quia substantiam se habet ad accidens, sicut potentia ad actum; sed Deus non est vlllo modo in potentia: ergo Deus non est substantiam vllius accidentis. Secundo, quia quod est ipsum esse per essentiam, nihil potest habere præter ipsum esse suum, ac proinde non habet accidentia. Tertio, quia neque Deus habet per aliquid aliud accidentia, cum sit ipse primum agens, neque etiam per se, nam accidentia per se producuntur ex principiis naturæ; in Deo autem non potest esse aliquid hoc modo productum, cum sit causa prima: igitur nullo modo habet vlla accidentia.

Quod etiam clariissime patet ex Concilio Lateranensi. sub Innocentio III. ut referunt in capite Firmiter, de Summa Trinitate, & fide catholice. ubi expellitur à Deo omnis compositio, tam accidentalis, quam substantialis; si autem darentur accidentia in Deo vera, & realia, sine dubio causarent in Deo compositionem accidentalem: ergo non sunt concedenda illa; ut docet Irenæus lib. 2. cap. 16. Clemens Alexand. lib. 1. Pedag. cap. 8. Origenes homil. 3. in Genes. Basilii lib. 1. contra Eunomium Gregor. Nazianzenus orat. 2. in Pascha, & in disput. de divinis ad Enagrium Monach. Athanas. in oration. contra idola ad Macharium. Theodoretus lib. diuin. decret. cap. de principio Damasc. lib. 1. de fide orthodox. cap. 12. Hylarius lib. 8. de Trinitate, Gregor. magnus lib. 16. Moralium, cap. 21.

Ratio autem evidens naturalis, quæ hoc demonstrat sic se habet; nam quod per essentiam suam absolutissime perfectum est, non est capax vllius accidentis (accidens enim additur essentia; quia ipsi essentia aliquid deest in genere entis) sed Deus per essentiam suam est absolutissime perfectus; cum sit per suam essentiam ens primum

primum & ex se subsistens, ac proinde nulla causa esse poterit; quæ illi perfectionem essentiae limitauerit, ut ei aliquid perfectionis deesset; igitur Deus non est capax ullius perfectionis accidentalis, quæ consequentia eleganter eruitur à Cyrillo supposita præmissa, seu antecedenti de perfectione diuina dicente, accidens Deo nullum in esse potest, perfectio enim ex seipso nihil potest accidere.

Confirmatur; nam si in Deo esset aliquid accidentis, necessario illud esset aut realiter, aut modaliter à parte rei distinctum ab essentia diuina, hoc autem est impossibile: ergo etiam est impossibile esse in Deo aliquid verum accidentis. Maior intellecta physice, & realiter est clara, quia omne accidens distinguitur, aut realiter, aut modaliter à substantia; ut videre est in albedine, frigiditate, & reliquis veris accidentibus, quæ quia talia sunt, verè, & realiter distinguuntur à substantia; ens enim per se, qualis est substantia, & ens in alio realiter distinguuntur realiter. Minor sic demonstratur omnibus argumentis, quibus probauimus, *disputatione 2. quæst. Vtrum præscindatur ex natura rei ens à differentiis inuariati in Deo*, nullam dari distinctionem à parte rei inter absolutam prædicatam diuinam, & in ipsis respectu diuinitatis: ergo nulla perfectio datur in Deo propria ipsius intrinseca ipsi, & distincta realiter ab ipso, & licet aliæ sint rationes ibi adductæ, quæ probent intentum; euidetius tamen hoc demonstrat prima ratio quæ innitur omni identitati diuinæ.

Deinde, quia si in Deo reperiretur accidens re ipsa distinctum à substantia eius, vel haberet illud ab aliqua causa extrinseca, vel à propria essentia per naturalem emanationem ab illa, primum est plane impossibile; primo quia est contra rationem primæ causæ, ut ab alia causa quidquam recipiat; alias illa alia esset superior, & prior saltem secundum eam rationem; secundo quia quoad talem perfectionem penderet Deus ab extrinseca causa: tertio quia tale accidens esset commune non proprio; unde quantum est ex se posset abesse, & adesse, unde secundum tale accidens Deus ex se esset mutabilis, quæ omnia sunt plane contra naturalem rationem, secundum etiam dici non potest, primo quia illa interna emanatio reuera esset aliqua efficientia, quia per illam reciperet esse illud accidens, quod ex se non haberet esse, unde esse talis accidentis deberet esse participatum, & non esse per essentiam: esset ergo in Deo ab æterno quædam quasi immutatio, seu receptio alterius rei, seu entitatis participatæ, & effectæ, hoc autem dicit manifestam imperfectionem.

Dices, hac ratione demonstrari non dari in Deo accidentia realiter distincta, non tamen probari non esse accidentia ex natura rei distincta, ac modalia, quia huiusmodi accidentia non petunt fieri per efficientiam.

Sed contra, quia non tantum accidentia realiter distincta, sed etiam ea, quæ sunt modi verè distincti à rebus, quas efficiunt, fieri debent in huiusmodi subiectis per veram efficientiam, id est per propriam actionem si sint modi aduentitij, & extranei, vel saltem quia cum ipsa re sunt, ab ea fluunt per internam resultantiam, si sint modi intrinseci & quasi propriæ passionis.

Primum ostendi facile potest inductione, nam terminus motus localis per veram efficientiam fit, ut rerum artificialium vera est effectio, & tamen per has, & similes actiones non sunt res distin-

ctæ sed modi, & ratio est, quia hi modi vere sunt aliquid reale: ergo si antea non erant, veram efficientem causam, & actionem requirunt ut esse incipiant, & ex hac priori parte facile probatur posterior, nam modus, qui necessario est coniunctus cum re, si per eandem actionem fit cum ipsa re, necesse est ut veram habeat causam efficientem, quomodo fit in hæsiō accidentis cum ipso accidente, si vero non fit per eandem actionem: ergo ordine naturæ supponit factam rem cuius est modus: ergo ut tali rei talis modus addatur, necessaria est aliqua efficientia.

Minor prima, & præcipua sic demonstratur. Primo ex definitione accidentis supra posita, videlicet, accidens est, quod non constituit rem in suo esse primo, neque pertinet ad primam constitutionem eiusdem, sed accedit illi iam constitutæ in esse, ab accedendo enim ita accidens dicitur: sed actus liber Dei secundum vestram sententiam, ita conuenit substantiæ dei, ut sine ipso substantia, & essentia ipsius integrè, & completè maneat, ut de facto manet sine multis decretis, quæ poterat habere: ergo quando adueniunt tales actus, supponunt iam essentiam constitutam: ergo sunt accidentia, nam si non essent accidentia, nullo modo, posset substantia, & essentia dei existere sine ipsis, neque in nobis ob aliam rationem dicimus, volitionem liberam, sine qua esse potest nostra substantia esse verè & propriè accidens, nisi quia nostra substantia ultimo completa esse potest sine tali perfectione, sed per vos substantia, & essentia diuina ultimo completa potest esse sine actibus liberis, quos nunc habet, & de facto existit completa sine decretis, quæ potuit habere: ergo sunt accidentia Dei. Secundo, quia accidens est, quod potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem: sed actus liberi dei qui nunc sunt, potuerunt abesse à Deo, manente integra essentia Dei, & actus, qui nunc non sunt, potuerunt adesse ipsi: ergo sunt vera accidentia realia, nec valet dicere non posse adesse, & abesse, quia si adest actus, non potest abesse, neque è conuerso, quia hac solutione ad summum fit esse accidens inseparabile, tum etiam quia ad rationem accidentis necesse non est ut possit adesse, & abesse in sensu compositionis: sed sufficit in sensu diuisionis, id est, quod quantum est ex se, ita sit extra substantiam rei, ut possit adesse, vel abesse ab illa, siue possit vnum post aliud succedere, siue non.

Exemplo manifestissimo in sententia aduersariorum conuincitur hæc veritas, nam cognitio actualis Angelī, qua se cognoscit, ex suppositione quod est in Angelo, necessario existit in ipso, ac proinde non potest non durare cum ipso Angelo in æternum, & nihilominus in sententia Caietani est verum accidens, quia solum intelligere dei est substantia dei, in reliquis autem entibus creatis intellectio est accidens. Item lux solis durat in æternum cum sole, de qua quis potest dubitare an sit accidens, vel substantia: nam accidens est, quia quantum est ex se illi non repugnat ab esse à sole.

Dices, non esse accidens, quia omne accidens recipitur in subiecto tanquam in potentia passiva.

Sed contra, quia volitio diuina actuatur ipsum Deum & vnitur ipsi tanquam verus actus, & vera forma: sed verus actus, & vera forma vniuntur tanquam actus, & potentia passiva: ergo volitionis diuinæ est Deus vera potentia passiva: probatur

tur hæc consequentia; quia inter res distinctas triplex tantum unio est possibilis secundum communem Philosophiam, & Theologiam. prima informationis: secunda continuationis, aut contiguationis: tertia terminationis substantialis, seu suppositionis, ut ostenditur materia de Incarnatione: Deus autem non vnitur illi volitioni, tanquam terminus illius, ut constat; nec deinde vnitur per continuationem, aut contiguationem, quia non est res corporea: ergo relinquatur sola unio informationis, & receptionis formæ in subiecto.

SVBSECTIO IV.

Vltimum argumentum principale ponitur.

Quia alias Deus erit compositus, consequens est absurdum, sequela probatur: nam ubi est distinctio, & unio, ibi est compositio: sed hic est distinctio volitionis à deo secundum contrarios, & non potest non esse unio vnus ad alterum, alias deus non redderetur volens per illam volitionem. Dices, minime sequi Deum esse compositum, nam si secludas vel sola mente Deum à volitione, deus ipse non remanet compositus, sed fit compositio ex deo, & ex volitione; deum autem in se simplicissimum cum alio extremo componere quoddam tertium minime repugnat; nam Christus dominus vere est quoddam compositum ex Verbo simplicissimo, & ex humanitate. Sed contra, quia non solum Theologia naturalis & supernaturalis relegat à deo compositionem substantialem, sed etiam accidentalem seu substantiæ diuinæ cum alio tertio extremo, seu quod idem est, distincto à deo adveniente ipsi, & deum ipsum actuante ut videtur est apud omnes Theologos cum b. Tho. sup. q. 3. quia hæc compositio argueret manifeste in ipso deo carentiam alicuius perfectionis, alia autem est ratio de compositione Christi Domini ex Verbo, & humanitate, quia cum humanitas non adveniat Deo, tanquam actus connaturalis Dei, imo neque tanquam vllō modo Dei actus (non enim actuatur Deum) neque unio hæc humanitatis ad Verbum, neque compositio ex iis duobus extremis vnitis resultans derogat Dei simplicitati, & perfectioni; at si volitio Dei erga creaturas à deo distingueretur, & distincta à deo vnum tertium cum ipso componeret, ille actus esset actus connaturalis dei & deum actuaret, & esset dei accidens, cum deo iam in suo esse completo adveniret, tanquam actus intrinsecus potentie connaturali, hæc autem omnia pugnant evidenter cum diuina perfectione; maneat ergo cum communi sententia nullam volitionem Dei erga creaturas distingui à parte rei ab ipso deo. Et ratio est, quia actus vitalis si distinctus est à deo realiter, producitur de substantia ipsius dei, vnde intelligi non potest, quin productio eius sit vera effectio, & cum non sit creatio quia id, quod ex substantia est, non fit ex nihilo: ergo eriteductio ex supposito subiecto, ac per consequens intercedit ibi vera ratio potentie actiue, & passivæ.

Confirmatur; nam illa volitio per vos ita est in deo ut eius formalitas realis potuerit non esse; dum autem non esset, ideo non haberet esse quia Deus non voluisset communicare illi esse, &

dum fuit ideo habuit esse, quia Deus, seu diuina voluntas communicavit illi esse: ergo talis communicatio fuit vera effectio, causatio, & dependentia in genere causæ efficientis; quia omnis actio, per quam fit, vel communicatur aliquid esse quod non est de essentia rei productæ, est vera effectio, & causalitas: ergo talis actus liber pendebat à deo tanquam à Creatore, seu causa efficienti dante illi esse: ergo est vere creatura. Item nam si à deo non efficitur illa realis formalitas volitionis: ergo est à se ipsa: ergo non potuit non esse; nam quicquid est, & potuit non esse, ab alio efficitur, & in tantum potuit non esse in quantum causa efficiens potuit non influere in illā, & hinc communiter concludimus contra Durandum omnes creaturas immediate effici à deo, quia deus potest destruere omnes, neque potest intelligi, quomodo destruat illas, seu non efficiat illas, quam aut non influendo in ipsas aut cessando ab influxu, quo antea illas efficiebat, falsum autem esse consequens, scilicet falsum esse volitionem illam Dei esse creaturam, probatur, nam volitio illa, qua Deus vult alia à se, est æterna, ut infra ostendetur, nulla autem creatura est æterna, nam omnia Deus in principio, seu in tempore creavit iuxta communem Theologiam, Patres & illud Genes. [In principio creavit deus celum & terram.] Item quia Deus volendo, creavit omnia, & eius diuina volitio fuit principium creandi omnem creaturam, quod tamen falsum esset, si ipsa volitio esset creatura, non enim posset esse principium producendi seipsam. Præterea, nam creatura non potest cum deo vniri secundum communem Theologiam, nisi hypoteticè, & quia intellectio increata Dei non potest immediatè vniri hypoteticè creaturæ, asserimus communiter non posse ex vlla persona hominem intelligere cognitione increata Dei: ergo neque poterit Deus velle volitione creata; nam ut volitione creata vellet, oporteret hanc vniri Deo, & eius voluntati, cui tamen vniri non potest, ut patet ex proxime dictis.

Vltimo si actus liber Dei distingueretur à parte rei à deo, & adiungeretur actui necessario, aut adderetur ipsi, ille esset omnino posterior natura, quam actus necessarius; quia omne necessarium est independens à libero: sed pro illo priori, pro quo intelligitur in deo actus necessarius, intellectus, & voluntatis dantur processionem Verbi, & Spiritus sancti: ergo pro posteriori naturæ, quo intelligitur actus liber eiusdem intellectus, & voluntatis dabitur alia duplex processio quod est summum absurdum, sicut & quod in diuinis dantur duo verba, & duo Spiritus sancti: illatio sic probatur quia non est maior ratio, ob quam Deus per actum necessarium producat Verbum & Spiritum sanctum potius quam per actum liberum, cum in Cæterani doctrina hic etiam infinitus sit, & intrinsecè existens in deo.

Dices, id esse impossibile, quia sequeretur personas per actum liberum productas esse quid liberum & quod potuissent non existere, sed sane si hoc derogat diuinæ personæ, quia Deus est, etiam derogabit actui libero, qui Deus est; quare falso conceditur deo actus liber distinctus à parte rei à deo, qui quoad intrinsecum potuerit non esse in illo realiter. Præterea, quia ea formalitas distincta à natura Dei, habebit sane aliquod principium sui productivum; nam diuinis rationibus non repugnat esse ab aliquo productas.

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 391

has, ut constat in Filio, & Spiritu sancto, imo solus Pater, qui est prior origine ceteris personis est improductus; cetera vero, quae ab ipso ante operationem intellectus distinguuntur, producta sunt: ergo etiam haec formalitas actus liberi producta erit, quippe ponitur distincta, neque villa potest discriminis ratio assignari quare omnia alia, quae in diuinis à prima persona distinguuntur, producta sint, & non haec; si autem producta est euidenter sequitur esse formalitatem creatam ut distinguitur à diuina; nam Ariani, ut negaret Filio diuinitatem, assererebant ipsum fuisse productum à voluntate libera, & indifferenter ad existendum, & non existendum; ex hoc autem inferebant, esse creaturam, Patres autem, & Concilia existimauerunt, consequentiam necessariam esse; ideo Antecedens negandum arbitrati sunt; atque decreuerunt processionem Filij liberam non esse, sed necessariam, ut videtur in Concilio Toletano XI. *can. 3.* *Conciliorum in professione fidei*, ubi variis modis explicatur, sicut Pater necessarius, & ex aeternitate est Pater; ita habere Filium necessario, & ex aeternitate sibi aequalem de ipsius substantia, quod dilucide docet Augustinus 15. *de ciuit. Dei*, capite 10. D. Thom. *prima parte, quaest. 41. artic. 1.* sed actus liber dei, si productus est libere, & indifferenter productus est, ita ut poterit non produci, & per consequens non habere esse, & existentiam, nam alias non esset actus liber; ergo non est diuina, & increata formalitas, sed limitata, & creata: consequentia solida est secundum mentem Patrum.

Nec valet ad hoc solutio Fonseca dicentis, actum illum liberum esse solam extensionem diuinæ volitionis intrinsecam ipsi, unde dum actus liber datur in deo, solum additur quaedam extensio diuinæ voluntati, ratione cuius ipsa, quae solum amabat necessario deum, extenditur ad amandum creaturas libere & contingentem.

Sed haec solutio continet mera verba, neque iure differt à Caietani sententia, unde si differt ab illa, incidit in opinionem supra late refutatam eorum, qui complent actum liberum extrinsecè per connotatum creatum, de quo nihil hic agendum, quia satis supra actum est.

Quod autem non differat à sententia Caietani, si recedat ab hac, patet manifeste, quia extensio illa constituit actum liberum per distinctum à necessario: sed illa extensio est intrinseca formalitas in deo, quae quia libera est, contingens est formaliter per vos, ac proinde potest esse, & non esse in deo, nam salua tota essentia actus necessarij, potuit non existere in deo: sicut multae extensiones actuum liberorum, quae potuerunt esse, non sunt actu, existente completa diuina volitione necessaria: ergo talis extensio distinguitur à parte rei ab ipso deo, patet consequentia ex supradictis, quia ea distinguuntur realiter quae separantur realiter hoc est, quae ita se habent, vt vno existente, & persistente, alterum desinat, vel possit desinere esse: sed illa extensio diuinæ volitionis ad creaturas futuras, & actuales libera intrinsecè existens in deo, potuit ita separari à diuino esse ut existente, & persistente illo, potuerit non esse: ergo distinguitur à deo, & sic non erit deus à parte rei, quia quod distinguitur ab alio, dicit negationem illius, & non est illud à quo distinguitur, vt supra late demonstrauimus. Ecce quomodo Fonseca sententia, & sententia Caietani coincidunt in vnum, docendo actum liberum dei distinguere realiter ab ipso deo, unde omnia argumenta

facta in presenti sectione contra Caietanum eodem modo videntur contra Fonseca à primo vsque ad vltimum de productione.

Nam ut bene aduertit P. Suarez, propter hanc solutionem non variari inconueniens supra illatum, scilicet hanc realem additionem extensionis necessario petere aliquam realem productionem à diuina voluntate libera, aut effectiorem seu causalitatem, aut quouis alio nomine nuncupetur; quia existentia intrinseca in deo alicuius formalitatis, quae potuerit non esse in deo, & separati ab illo realiter, non potest intelligi sine additione, & augmento reali, ut videtur est in creaturis, & hoc necessario petit productionem realem, ut patet ex dictis contra Caietanum; neque obstat potest quod illud augmentum, vel additio fiat cum identificatione: tum quia fictitia est haec, nam id, quod potest non esse in aliquo, semper distinguitur ab illo, & quod semper distinguitur nunquam potest identificari, ut supra late demonstrauimus; Tum etiam, quia si per impossibile concedatur talis identificatio, non minuit, sed potius auget difficultatem; nam ad hoc videtur requiri maior efficacia; nam magis est facere, ut duo, quae secundum se erant distincta, identifcentur, & coalescant in vnam simplicem formalitatem, quam quod vniatur. In presenti autem perfectio libera, & necessaria secundum se, seu praecisa actione, vel determinatione diuinæ voluntatis ita sunt distincta, ut altera sit non ens, seu ens possibile tantum; altera sit ens necessarium; ergo ut illud ens possibile sit, non solum ens actu, sed etiam sit ipsummet ens necessarium sine vlla distinctione ab illo: magna certe vis, & plusquam efficacia requiritur, etenim si illa perfectio libera ex ente possibili fieret ens actu vnitum tantum enti necessario, & non vnum, & idem cum illo, necessaria esset efficientia, vel actio: multo ergo magis necessaria est vt non solum fiat ens actu vnitum, sed etiam vnum.

Explicatur exemplo filiationis diuinæ; nam quia persona filij in diuinis existit, & datur distincta realiter à Patre ex vi fecunditatis ipsius; necesse fuit, ut intercederet vera productio: ergo similiter, quia actus liber dei distinguitur à parte rei, ab ipsa voluntate, debet intercedere inter voluntatem, & actum liberum vera, & realis productio, unde cum ei tribuitur aliquid, quod sine efficacia habere non potest, & simul dicitur in re non distingui vilo modo à suo principio, contradictoria dicuntur. Accedit, quod necessarium erit fieri, esse in Deo perfectionem pendente ab actuali existentia creaturae aut facta aut futura in sua propria duratione; illa enim perfectio libera, quam habet deus, ex eo quod liberaliter voluit mundum creare, ita dicit habitudinem transcendentem ad creaturam, ut existentem aliquando, ut nullo modo possit esse in deo sine tali existentia creaturae; sed hoc certe absurdissimum est, quod vixitum indigeat Deus vilo modo creatura sua ad habendam aliquam perfectionem, siue magnam, siue paruum, siue intensiuam, siue extensiuam, quod patet ex supradictis de independentia diuina, ubi efficaciter probauimus, nullam dependentiam dari in Deo respectu creaturarum; quia dicit Deus in se omnimodam & omnimodam independentiam; & amplius virgetur ex sententia recepta inter aduersarios dicentes, absurdum esse admittere in deo relationes reales ad creaturas, ut actu existentes, & ab illis ut sic dependentes; quia impossibile existimant aliquid reale

reale esse in Deo, quod ab actuali existentia creaturæ pendeat, siue ut à termino, siue ut à conditione necessaria, siue quacunque alia ratione, quia quidquid in Deo est necessario est Deus, & ideo nullo modo potest esse dependens, sicut nullo modo potest non esse. Quod autem aliquomodo penderet à creatura, potest non esse, sicut illa: ergo minus id dicendum est de actibus liberis voluntatis diuinæ.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluntur.

384 **A**D argumentum secundæ sententiæ concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem minoris distinguo maiorem, quod est capax habendi aliam perfectionem distinctam formaliter à parte rei, & per additionem formalem realem illius concedo, aliam perfectionem virtualiter solum distinctam & solum virtualiter additam nego, & hoc modo est Deus capax alterius perfectionis distinctæ ab illa, quam nunc habet, de quo latissime agendum nobis est *questione sequenti*, quod non solum non dicit imperfectionem in Deo potentialitatis, sed potius summam, & infinitam actualitatem, & summam, ac infinitam eminentiam diuini esse, ut patet ex dicendis.

Ad argumenta tertiæ sententiæ, & ad primum distinguo maiorem, supponit nouam aliquam additionem, &c. formalem solum nego, formalem, vel virtualem, aut æquiualentiam concedo. Item concedo minorem, concedo consequentiam, & distinguo aliam minorem, non est facta in Deo formaliter à parte rei concedo, æquiuolenter, aut virtualiter, nego; de quo infra latius.

Ad confirmationem nego maiorem, si vniuersaliter loquatur de omnibus actibus liberis, tam efficacibus, quam inefficacibus, quia ut supra late demonstrauimus, actus inefficaces etiam si sint liberi, nihil reale tribuunt creaturis, imo si loquamur de efficacibus, nullum esse intrinsecum physicum immediate conferunt creaturis, sed solum mediante omnipotentia; sed licet concedamus omnes actus efficaces tribuere immediate aliquid esse intrinsecum physicum, (quod supra negauimus, & oppositum eius efficaciter probauimus, eo quod multi actus efficaces sint in Deo, qui solum mutationem moralem faciunt in creaturis) nihilominus tamen illud esse intrinsecum nullo modo constituit actum liberum formaliter, quia est effectus illius, & effectus non constituit suam causam, ut supra latissime demonstraui, ac proinde tale esse intrinsecum non potest facere aduersariæ sententiæ, quæ intendit tale esse creatum constituere actum liberum.

Ad secundum argumentum respondeo, verum esse quod Verbum diuinum non mutetur per vniionem hypostaticam: sed hoc non est propter rationem, quam ibi perperam, ac falso assignat Pater Alarcon dicendo, [vniionem hypostaticam intrinsece dumtaxat se habere respectu humanitatis, & non respectu Verbi diuini;] nam Verbum diuinum intrinsece vnitur per illam vniionem humanitati Christi: ergo vniio hypostatica intrinseca est respectu Verbi diuini: consequentia est clara, quia impossibile est, quod aliquid intrinsece constituitur per aliquam rationem formalem, vel

quasi formalem, & quod talis ratio formalis non sit intrinseca respectu illius, quod intrinsece constituitur per talem rationem formalem; ideo enim Pater æternus habet actum liberum intrinsecum, quia actus liber intrinsece constituit ipsum amantem simul cum reliquis personis diuinis, quæ simul cum Patre per talem actum, constituentur in esse amantium intrinsece creaturas. Item recte colligimus, relationem Filij esse intrinsecam Verbo diuino quia intrinsece constituit ipsum in esse Filij respectu Patris æterni, imo è contra euidenter sequitur effectum, vel quasi effectum formalem non posse esse intrinsecum, sed extrinsecum, quando ratio formalis extrinseca est respectu subiecti; ideo enim paries visus est denominatio extrinseca, Item columna dextera, Deus creans, amans, & intellectus à creatura; quia rationes illæ formales non intrinsece, sed extrinsece se habent respectu subiectorum quæ constituunt, & denominant.

Atqui vniio hypostatica constituit Verbum diuinum non extrinsece vnium humanitati: ergo vniio hypostatica non est extrinseca respectu Verbi diuini, sed potius intrinseca respectu illius.

Antecedens illud sic demonstratur, primo quia Verbum diuinum subrogatur loco suppositiuitatis humanæ: sed suppositiuitas humana non est solum extrinsece vnita humanitati, sed potius maxime intrinsece, ut constituat vnum ens per se intrinsecum, quale est suppositum intellectuale, & persona, quæ quia est per se principium operationum vitalium intrinsecarum; ideo debet esse vnum per se intrinsecum: ergo Verbum diuinum, quod constituit vnum suppositum intellectuale, & vnam personam perfectissimam Christi, quæ est maxime vnum ens per se intrinsecum, intrinsece debet vniri humanitati, & constitui intrinsece vnium ipsi ut constituat vnum principium per se vitalium operationum, & suppositum intrinsece loco personalitatis humanæ ipsam humanitatem Christi nominari.

Vegetur amplius, & sit secundum argumentum quia si Verbum diuinum non esset vnium intrinsece humanitati, inter Verbum diuinum, & humanitatem non intercederet vera intrinseca vniio: ergo Christus esset ens per accidens, ac proinde non esset absolute, ac simpliciter vnus, quia ens per accidens potius est plura simpliciter, quam vnum, ut videre est in acervo lapidum, in populo, & exercitu; sed Christus simpliciter & absolute est vnus; ut dicitur in symbolo Athanasij ibi, [qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus, vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitatem personæ; nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus:] ergo Christus non est ens per accidens, sed ens per se; quod patet ex verbis nuper citatis symboli, ubi non solum dicitur vnus simpliciter, & absolute, sed etiam dicitur esse vnum, sicut homo est vnus: sed homo est vnum ens per se intrinsecum; ergo Christus, qui comparatur tali vno, est vnum ens per se intrinsecum, & non vnum ens per accidens.

Illam primam consequentiam patet manifeste; quia ideo populus, exercitus, acervus lapidum, & paries visus non sunt per se vnum, sed entia per accidens, quia constitutiva illorum non vniuntur intrinsece, sed extrinsece, & ideo ex creatura, & intellectu ne diuina, per quam cognoscitur talis creatura non resultat vnum ens per se simpliciter, sed potius vnum ens